

Kunstblatt

I
5
N^o 30

Zur Bekämpfung des Königlich Preußischen
Militärs von Johann Gottlieb

plus
ER.
ement
t pas
mbla
d'vne
s atti
que
Com
mar
mon
e fin
Vous
ment,
qu'il
HE.


27

DISPVATIO THEOLOGICA SECUNDA
DE
DONO PROPHETIAE
IN
ECCLESIA NOVI TESTAMENTI

QVAM
PRAESIDE
IOANNE GEORGIO KNAPP
TH. D. ET PROF. PVBL. ORDIN.
D. MARTII MDCCCLV.
IN REGIA FRIDERICIANA
PVBLICE DEFENDET
IOANNES FRIDERICVS ISVERDING
SVSATO-WESTPHALVS.



HALAE MAGDEBURGICAE
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, ACAD. TYPOGR.





§. XXI.



rogredimur iam ad tertiam atque ultimam vniuersae disputationis nostrae partem, exposituri scilicet adhuc de praestantia et vsu doni propheticci, aliisque ad hoc argumentum pertinentibus notwithstanding non indignis. Completemur vero quae adiungere adhuc placet sequentibus. Primo de praestantia atque vsu doni huius perse differemus. Deinde de cautionibus circa illud eiusque usum variis agemus. Porro in veram interpretationem loci notabilis (Rom. XII, 7.) de prophetia agentis, inquiremus. Denique disputabimus etiam, vtrum cessauerit plane hoc donum in ecclesia, aut cessare debuerit.

§. XXII.

Primo itaque de praestantia atque vsu doni huius in prima maxime ecclesia differemus, et quidem ita ut 1) generaliter

A 2

ratim doceamus, quanti sit habitum, 2) causas illius rei in
 vtilitate illius singulari positas exponamus 3) etiam ordinem
 consideremus quem Paulus in vsu huius doni, in publicis
 maxime ecclesiae conuentibus obseruari voluerit. 1) Itaque
 generatim demonstrabimus, quanti hoc donum in ecclesia
 prima aestimatum fuerit; id quod ex duabus maxime rebus
 apparet a) ex laudibus, quibus Paulus illud diserte ac crebro
 ornare solet, ita vt p[ro]ae omnibus alis donis ministrantibus
 expeti maxime velit. Ita enim scribit (1 Cor. XIII, 1.) *id*
operam date vt vaticinemini: et c. 5. vellem quidem vt omnes linguis
loqui possetis, at multo magis vt vaticinaremini: qui enim vaticinatur
maior est loquente linguis. c. 39. ideo operam date prophetiae; lau-
 dum et commendationum hoc satis est b) pretium huius doni
 in antiqua ecclesia apparet etiam ex loco prophetis inter
 doctores N. T. tributo, partibusque eximiis in prima eccle-
 siae constitutione illis tributis. Variis scilicet in locis Paulus
 varia doctorum et ministrorum primae ecclesiae genera enar-
 rat, ac semper ita, vt prophetis proximum ab apostolis lo-
 cum adsignet. Sic enim scribit (1 Cor. XII, 28.). *Deus con-*
stituit PRIMO apostolos, SECUNDO prophetas, ac TERTIO
doctores; et (Eph. III, 11.) et ille constituit nonnullos apostolos,
nonnullos vero prophetas, nonnullos euangelistar, nonnullos pastores ac
doctores. Manifestum est ex his locis Paulum varia haec ho-
 minum genera pro dignitatis ratione collocare, ac proinde
 docere, prophetas dignitate proxime ad apostolos accessisse.
 Adiungimus his adhuc effatum eiusdem apostoli (Eph. II,
 19. 20.) *non igitur amplius estis hospites nec inquilini sed ciues san-*
ctorum ac domestici Dei, superaedificati super fundamento apostolo-
rum ac Prophetarum, Iesu Christo lapide angulari. Rursus hic a
 Paulo apostolis prophetae adiunguntur: minime vero vates
 V. T. sed noui intelligi cum ex ordine verborum tum ex col-
 latio-

latione (c. III, 5.) luculentissime apparet; hi ergo vna cum apostolis fundamentum dicuntur a Paulo, cui reliqui fideles sint superstructi. Considerantur videlicet hic apostoli ac prophetae tanquam primarii lapides viui (1 Petr. II, 3.) ecclesiae N. T. in fundamentis quasi illius positi; quorum opera ac testimonio alii praeparati decenter atque vna constructi sunt *). Ex quo rursus summa Prophetarum dignitas apparet.

A 3 oloquio secundo §. XXIII.

* Cum apostoli ac prophetae hoc loco tamquam lapides in fundamentis ecclesiae N. T. positi considerentur, lumen ex eo forte adferri potest effato Christi ad Petrum Math. XVI, 13. sqq. variis admodum interpretationibus iactato, et ad Petri in vniuersam ecclesiam imperium probandum aelhiberi solito; *Tu es Petrus, et super hac Petra aedificabo ecclesiam meam.* Quodsi enim vel maxime Dominus per ταῦτη τῷ πέτρῳ ipsum Petrum intellexerit, (quae non contemnendorum etiam ex nostris interpretum est sententia, atque ipsa simplicitate sua ac facilitate multrum commendari videtur) nihil tamen aliud dicetur, quam Petrum primarium aliquem ex lapidibus illis infundamento positis fore, cui et cuius maxime opera singulari alii etiam sint superstruendi, qui vna cum ipso, in Christo tamquam ultimo fundamento, totum aedificium robore ac firmitate sua vnicce sustinente, innitantur. Ipse sane Petrus 1. ep. II, 4. sqq. hanc vocem Domini videtur spectare eamque ita interpretari, vt Dominus ipse ultimum fundamentum ecclesiae et tamquam solum sit, in quo totum aedificium incumbat, fideles vero et ipse cum illis lapides siue partes illius aedificii existant. Ex quo ne fidiculis quidem summum in ecclesiam imperium extorqueri, multo minus vero epis copis Romanis per successionem traditum esse probari potest. C. Ven. C. M. PFAFFH. disput. de ecclesia patras in aedificata lectu sane dignissima.

§. XXIII.

Progredimur iam ad causas 2) honoris dono huic habiti exponendas, in singulari illius utilitate positas, quam Paulus varie enarrat (1 Cor. XIII.): *vaticinans*, inquiens, *loquitur hominibus ad aedificationem et ad exhortationem et ad consolationem*: *qui vaticinatur aedicat ecclesiam*: *si omnes vaticinarentur, et intraret infidelis aut idiota, ille redarguitur ab omnibus, et ab omnibus dijudicatur*, et ita occulta cordis illius aperta fient, et ita cadens in faciem adorabit Deum, pronuncians quod Deus vere in vobis sit. Ad quae apostoli verba, pro instituti ratione, nonnulla obseruanda ducimus, a) ex prolatis in medium perspicue apparet, utilitatem doni huius proxime ac maxime (ut supra iam diximus) ad credentes pertinuisse, ut scilicet opere illius magis instituerentur, exhortationibusque ac solatiis confirmarentur in vero ac bono. Id quod etiam vates V. T. sibi propositum habuisse cernimus; quippe apud quos nihil frequentius est, quam ut orationem suam ad bonos sui temporis conuertant, dictaque sua ac praedicta ad usum illorum transferant.

§. XXIV.

Vtile igitur admodum hoc donum erat fidelibus, quod ad singulas illius partes attinet. Praedictio enim futurorum spei maxime fouendae et confirmandae inseruire poterat. Significatio vero certa voluntatis Dei in his vel illis singularibus casibus, primis illis maxime temporibus, vel rogatu vel ultro facta per prophetas, pariter eo proderat, ut maiore cum fiducia aut facere aliquid aut non facere possent (conf. Act. XV, 28. 31. 32.). Explicatio porro, ac declaratio litterarum diuino adflatu facta, ad fidem confirmandam egregie facere poterat, sapientia, bonitate, sanctitateque Dei per omnia temporum interualla mirifice per eam reclusa. Qui enim

enim illo tempore ad fidem salutarem in Christum perueniebant, per singularem vim atque efficaciam praeconii apostolici, miraculis comitati ac paucis comprehensi, breui tempore eo perducebantur, antequam vberiorem cognitionem doctrinae diuinae ex s. litteris et institutione voce facta hauferant (cf. A&t. II.). Debebant vero postea augeri cognitione et vsu rerum diuinorum, qua in re prophetiae donum mirifice ipsis prodesse poterat; quatenus per illud cito ac facile prophetiae V. T. pandebantur, ut perspicerent, quam egregie verbum apostolicum, cuius vim ante vberiorem institutionem in diuina animi mutatione re ipsa senserant ac perceperant, cum s. litteris conueniat (cf. A&t. XVIII, 25. 26.).

§. XXV.

Intererat vero fere aliquid in apostolica docendi ratione pro auditorum diuersitate. Si cum Iudeis res erat, qui verbum Dei in V. T. habebant, testabantur illud, suamque ex eo doctrinam ducebant, probantes primo Christum debuisse pro peccatis hominum morte adfici atque reuiuscere, deinde Iesum Nazarenum esse Christum. Breibus tamen id sciebat fere, incensa vero fide magis magisque id persequebantur. Si vero cum ethnici agebant, quibus V. T. scripta cognita et lecta non fuerant, ipsam doctrinam de Iesu per se statim ac directo nunciabant, quae etiam sine prouocatione ad scripta V. T., vim suam exserebat ad fidem apud illos efficiendam: postea vero hos quoque iam conuersos, ex scriptis V. T. instruebant, doctrinam euangelicam cum praedictis illius conuenire docentes. Vtique in negotio ea doni prophetici pars, de qualoquimur, insignem utilitatem praestare poterat. Quatenus vero prophetiae donum in eo versabatur, ut illo instructi ex temporali diuinaque facultate preces

et

et carmina sacra funderent, per se satis appareat, quam egregie aedificationi atque excitationi aliorum inseruire potuerit, ut longiori oratione opus non sit. b) Docent vero etiam allegata apostoli verba, usum quoque praestitisse donum hoc in infidelibus salutariter permouendis atque excitandis. Et primo quidem ex Pauli verbis apparere videtur, interesse licuisse interdum infidelibus Christianorum conuentibus, et quidem siue dubio illo etiam consilio, ut nil mali in illis geri viderent, suspicionibusque prauis occurreretur, in quas malevoli Christianos illorumque coetus adducere conabantur, quasi scelera ac flagitia congregati patrarent. Deinde vero poterat quoque praesentia, aspectusque et auditus eorum quae gerebantur occasionem conuersioni illorum adferre: dum per prolata a prophetis, partim redarguebantur, reuelatis forte etiam interdum per spiritum occultis illorum peccatis: statusque miseri conuincebantur *); partim vero diuinitas religionis Christianae per ipsam illius efficaciam in animis, iis persuadebatur. Quibus animi commotionibus dujnitus excitatis, impelli porro poterant ac debebant, ad usum mediorum ordinariorum fidem, quo ad fidem in Christum perducerentur. Similia plane, prophetici doni usu apud

alios

*) Simile quid ab ipso Domino factum legimus, Io. III, 19, 29. quippe qui mulieri Samaritanae minus legitimum cum viro aliquo, quem secum habebat, commercium patefecit. Id quod mulierem hanc maxime permouisse narratur, ut longe adhuc attentionem se ad sermones illius praebuerit. Quid quod postea ex illa ipsa patesfactione rei occultae ciuibus suis Dominum maxime commendauit; qui pariter eo ad credendum primo Christumque ipsum audiendum ac videndum excitati leguntur. Quae apostoli verbis illustrandis omnino inseruiunt. cf. etiam 2 Reg. VI, 11. 12.

alios infideles contigisse legimus, v. g. apud Naemanum Syrum (2 Reg. V.). Nebucadnezarem. (Daniel II. IIII.) distinguit vero apostolus Idiotam ab infideli, quaeritur itaque haud immerito, quis Idiota fuerit et dicatur *). Forte appellatur nomine illo talis, qui antea melius iam sentiebat de re ac religione Christiana, ac proinde aliquo modo iam ad fidem eo facilius concipiendam praeparatus, ceteroqui vero admodum rudis atque imperitus adhuc rerum diuinorum, vel saltim per negligentiam illarum adhuc valde incuriosus.

§. XXVI.

Restat 3) vt ordinem adhuc consideremus, quem Paulus in doni huius vsu in publicis maxime ecclesiae conuentibus obseruari voluerit: qua de re ita scribit (1 Cor. XIII, 29. sqq.). Prophetae vero duo aut tres loquantur et reliqui diuident, si vero alii sedenti reueletur, primus taceat, nam poteritis singulatim omnes vaticinari, vt omnes discant et omnes confirmentur, et spiritus prophetarum prophetis subiiciuntur. Ad quae apostoli verba illustranda obseruamus sequentia a) consilium apostoli eo videtur redire, vt, plerumque saltem, in uno eodemque conuentu, duo aut tres tantum prophetae oracula funderent,

B

quod

*) Vocabulum *Idiota* non in eandem ab omnibus sententiam accipitur, vt WOLFFIVS obseruat in notis *philologico-criticis* ad Act. IIII, 13. significat enim cum hominem *priuatum* nullo officio publico fungentem, tum etiam *rudem* seu *illiteratum*. Prior notio in apostoli voce vix locum habet, posterior vero magis conuenit. Adiungimus, veteres Christianos vulgo ethnicis olim *Idiotas* audiuisse, vt pluribus exemplis docuit CHRIST. KORTHOLDVS in *Pagano obtreftatore L. I. c XI,* § 1. IVSTINO martyri quoque apostoli dicuntur *ἀδιώτας λαλεῖν μη δυναμένοις*, i. e. *illiterati loqui non potentes*. Apol. II.

quod sine dubio etiam eam ob causam factum, ne sacra pu-
plice longius extraherentur. b) Reliqui dono propheticō
instructi attendere debebant ac diiudicare; quae diiudicatio
non tam eo pertinebat, vt errata forte loquentium corri-
gent (quatenus enim prophetae impulsum ac suggestionem
spiritus extraordinariam sequebantur erronea proferre non
poterant) quam eo, vt aliquid adiungerent, quod ad illu-
strationem, confirmationem translationemque ad vsum aliquid
conferre poterat; vt infra alio loco pluribus dicemus. c) Vi-
detur vero interdum accidisse vt, praeter illos duos aut tres
cum maxime loquentes, alii cuidam prophetae singularis
reuelatio contingere, vt se audiri singulari aliquo diuino
instinctu postularet; quod si factum ille qui loquebatur ta-
cere debebat, ne plus quam vnuſ, vno eodemque tempore
loqueretur. d) Ne vero qui concedere alteri loquendi par-
tes debebat, obiiceret, spiritum propheticum comprimi non
debere, apostolus scribit, *spiritus prophetarum prophetis subiici-
untur*. Quorum verborum interpretatio vulgaris eo redit,
quemlibet doctorem in ecclesia doctrinas suas ac sententias
aliorum diiudicationi debere subiicere, nec postulare vt sibi
ab aliis simpliciter credatur; quae tamen verborum senten-
tia consilio et econtextui orationis Paulinae non satis conue-
nire videtur. Spiritus igitur prophetarum videntur dici,
dona ipsa prophetica varie prophetis pro suo cuique modo
distributa, quatenus in motu atque excitata erant ad oracula
fundenda; hos itaque spiritus subiectos dicit apostolus pro-
phetis; quae subiectio intelligi potest vel respectu ipsorum
quorum spiritus commotus erat, vel respectu aliorum; si
illud eligatur sententia erit, prophetam commotum, impul-
sum tamen illum propheticum eatenus in sua potestate habere,
vt retinere atque ad tempus saltem tacere, aliasque audire
que-

queat; si vero hoc praeferas, sententia erit, spiritum prophetae alicuius commotum, subiicere se posse ac debere alii prophetae postea excitato, ut illi scilicet partes loquendi aequo animo concedat. Res ipsa tandem eodem redit, hinc vtraque sententia simul locum habere potest. cum minime inter se pugnant, sed altera consequatur ex altera.

§. XXVII.

Progredimur nunc ad alterum in explicanda tertia parte vniuersae orationis nostrae explicandum atque in eo positum, ut de cautionibus circa donum prophetiae, eiusque usum variis agamus. Quo praefantius itaque hoc donum erat, eo maiori cautione opus erat, quo veritas illius atque usus recte sibi constaret 1) itaque videndum omnino erat, ne quis nimia cupiditate illius incensus, tandem eo delaberetur ut per deceptionem sui ipsius fingeret sibi commotiones, ac suggestiones propheticas, cum tamen non haberet; accidere enim tale quid posse non est quod dubitemus. Extant enim etiam in sacris litteris varia huius rei exempla, quae cautos reddere debent. Potest vero tale quid accidere per imaginationis maxime concitationes vehementes vel extrinsecus ortas, vel indecenti & immoderata cupiditate extraordinariorum, quae nunquam plane innocens atque ab ambitione libera est, effectas. Dicuntur vero huiusmodi homines in s. litteris *ex corde suo vaticinari, suum spiritum sequi etc.* Accedere etiam facile poterat Satanae operatio, homines in fraudem impellere nunquam non molientis. Non libera plane fuisse prima N. T. tempora ab huiusmodi sollicitationibus cum per se probabile est, tum etiam ex generalibus illis apostolorum monitis recte conficitur, quibus suorum proxime temporum homines videre iubent, ne quid sibi suo arbitratu arrogarent, ac satanae hoc modo, variis artibus et subtili-

tiliter admodum insidianti ac tentanti etiam optimos quosque, locum relinquerent.

§. XXVIII.

Caueri vero huiusmodi deceptions omnium optime poterant, si quis Pauli praecepta obseruabat ac proinde a) id maxime agebat et expetebat in cursu suo, ut donis spiritus S. sanctificantibus, omnibus quippe aequa ac maxime necessariis augeretur. Vrget vero illud imprimis Paulus (1 Cor. XIII, 13.) ita scribens, *nunc vero manet fides, amor, spes, haec tria.* Haec tria, μεμνησθαι s. manere dicit, το μεμνησθαι hic proprie non ad durationem pertinet; in illa enim inter haec tria, ipso Paulo id docente atque urgente, omnino interest; sed idem hic est, ac perpetuum ac necessarium esse omnibus sine exceptione, atque in omni vita, si quis in hoc ac futuro seculo vere beatus esse cupiat; cum aliis v. g. prophetiae, linguarum dono quis vel plane vel ad tempus carere possit, sine salutis iactura *). Recte itaque scribit adhuncl. I. A. BENGE-LIVS in Gnomone; *non est proprius sermo de duratione, nam in ea non conueniunt haec tria, sed fides in speciem, spes in gaudium termina-*

*) Fuerunt eqnidem inter interpretes, qui ad euitandam difficultatem ex eo orientem, quod apostolus in hac oratione amori ex tribus illis primas deserat, in eam cogitationem venerunt, Paulum etiam c. 13. non tam de fide salutari quam miraculosa loqui. cf. SEBAST. SCHMIDII disput. de fide miraculosa: verum enim vero non est opus eo confugere. Paulus fatis perspicue declarat, quatenus amori de fide palmam det. quandocunque enim Paulus alibi, quod sane frequentissime ab eo fit, fidei, amoris, ac spei simul mentionem facit, nunquam non fidem salutarem in Christum tamquam auetorem salutis decenti modo conuersam intelligit. Quod cur hic secus fieri statuamus, nulla prorsus idonea ratio appetit.

minatur, 2 Cor. V, 7. Rom. VIII, 28. *solus amor perstat v. 8. sed de valore in antitheto ad prophetiam; hoc sensu omnibus rationibus subductis, haec tria sunt necessaria ac sufficientia; sicut modo haec tria, haec sunt haec manent, nihil amplius.* Christianus potest esse sine prophetia, sed non sine fide, spe, amore, conf. de verbo *μενω* maneo Rom. VIII, 11. 1 Cor. VI, 14. 2 Cor. III, 11. Ebr. XIII, 1. *fides est in Deum, spes pro nobis, amor erga proximum.* Si quis itaque his maxime operam dabat optime instruētus erat vel ad euitandas huiusmodi tentationes vel ad animaduertendas statim ac repellendas b) cum quisque primo quidem et proxime sibi ipse, sed non solus commendatus sit, verum etiam socium vitae ac praesertim eiusdem fidei participem respicere debeat, atque id proinde agere, ut saluti illius quantum fieri potest consulat, Apostolus quoque docet ad eam rem obtinendam nihil melius atque accommodatius esse quam vt amori rite et maxime studeatur; qui si ita comparatus est, prout ab apostolo describitur ac proinde verus est, id studiose aget, vt quod ad extraordinaria attinet, non tam se quam alios spectet, ac proinde et equam Deus tribuit sorte, aequo animo contentus sit, et aliis suam non inuideat, verum potius tanquam sua gaudeat. Efficiet etiam amor, vt iis quae habet vtatur non ad sibi placendum, sed ad aliorum veram utilitatem. Et si quis amori eum in modum maxime studens, aliquid extraordinarii expetat, quod apostolus non plane vetat, quo aliis eo magis professe possit, moderate tamen id facier, sui erga Deum officii non oblitus, quod optima etiam consilia ac desideria nostra iudicio ac voluntati Dei aequo animo permittere iubet, optime quippe cognoscentis, quid et nobis et aliis maxime expediat.

§. XXVIII.

c) Ad cauendas huiusmodi tentationes conducibile
imo plane necessarium est, ut modestiae veraeque animi sub-
missioni diligenter studeat, qui inoffenso pede progredi cu-
pit; submissis enim Deus fauorem praefstat: efficiet autem
vera animi submissio, quatenus etiam ad hoc quod cum ma-
xime tractamus vim habet, ut primo aliis plura habentibus
non peruerse aemulemur, deinde vt in ea quae plane necessa-
ria et ordinaria sunt, fidem scilicet amorem et spem magis
incumbamus quam in extraordinaria; porro vt si Deus nobis
aliquid praeter ceteros in minus necessariis tribuerit, ipsius
quidem Dei causa in indignos tam benefici imo plane muni-
fici gaudeamus; nostra vero causa ac conscientia imbecillita-
tis nostrae in iis recte vtendis metuamus, ac proinde a Deo
ipso facultatem recte vtendi expertamus, nostris viribus diffi-
dentes. Efficiet denique diuina haec modestia, ut cum adhuc
in carne viuamus, suggestionibus in animo obuiis et ad ex-
traordinaria inclinantibus non temere et cupide statim fidem
habeamus, sed conscientia facilitatis errandi, omnia eo solli-
citius non populari propriae opinionis trutina, sed verbo Dei
tanquam aurificis statera examinemus, auxiliumque spiritus
Dei in partes vocemus, quo ab illo per verbum docti ac
ducti humana a diuinis distinguamus.

§. XXX.

2) Si quis etiam prophetiam habebat, videndum erat,
ne maiorem doni huius modum sibi fingeret, quam habebat;
homines enim eo iam proclives admodum sunt, vt non solum
opinionis errore bona se habere existiment, quae tamen non
habent; verum etiam quae re vera habent, opinionis errore au-
geant locupletioresque videri velint quam sunt. Poterat ergo
illud etiam in prophetiae dono accidere, ad quam proinde
etiam

etiam generale illud apostoli praeceptum pertinet. Rom. XII, 3.
Dico vero, inquietis, per gratiam mibi datam, cuius inter vos ne
supra sentiat quam oportet sentire, sed ut sentiat in moderationem,
unicuique prout Deus distribuit mensuram fidei. Et ne dubitandi
locus relinquatur, quam late hoc praeceptum pateat, ipse
apostolus generalius dicta ad prophetiam postea diserte trans-
fert, statim subiiciens, *babentes dona secundum gratiam nobis
datam diuersa, siue prophetiam secundum analogiam fidei:* de quo-
rum tamen verborum vera sententia in sequentibus erit dic-
cendi locus. Dona ergo diuersa non solum sunt a Deo, sed
etiam modus vnius eiusdemque doni in variis hominibus, id
quod etiam Apostolus, ad Ephesios scribit c. IIII, 17. *cuius
vero nostrum, inquiens, data est gratia secundum mensuram donationis Christi.* Ergo ad suam quisque mensuram debebat atten-
dere, ut ne quid sibi tribueret, quod non habebat, et ne quid
illius quod habebat negligeret et otiosum quas iacere fineret;
vtrumque enim vitium magnopere fugiendum est. Poterat
etiam ac debebat haec cognitio mensurae eo inseruire; ut in-
quireretur, annon negligentia in fideli vsu donorum gratiae
sit in culpa, quo minus Deus maiorem illorum mensuram
tribuere potuerit: imo poterat etiam talis cognitio mensurare,
iis qui multum acceperant, prodesse; hi enim ad cauendam
eo melius omnem superbiam, cogitare poterant imo debe-
bant, eo grauorem rationem sibi esse reddendam; cui enim
multum datum est, ab illo postulatur multum, ipso Domino
pronuntiante.

§. XXXI.

3) Adhibenda etiam erat prophetis cautio, ne falsas
vere ac per spiritum suggestorum ac dictorum, translationes
facerent, aut aliquid ex iis animo licet minime malo confice-
rent, quod tamen neutquam ex iis conficiebatur aut con-
fici

fici debebat. Hoc enim nihil aliud erat quam paleam tritico miscere, si quis falsas huiusmodi ratiocinationes diuinitus suggestis immiscebat, quod quantopere Domino displiceat, Ieremiae effatis docemur, c. XXIII. Quam facile vero etiam a bonis viris, hac in re errari ac delinqui potuerit, illustri admodum exemplo Act. XXI. ob oculos ponitur *). Primo enim Paulus Tyrum venisse ibique discipulos inuenisse dicitur, qui Paulo per spiritum praedicebant, ne Hierosolymam, propter imminentia scilicet ibi pericula, pergeret. Sententia horum verborum neutquam haec esse potest, Spiritum S. discipulis illis paecepisse, ut Paulum ex itinere Hierosolymitano reuocarent; voluntas enim Dei vi res ipsa docet plane contraria erat, ipsique etiam Paulo maxime explorata, qui propterea verbis illorum commoueri se minime patiebatur. Lucas itaque res duas probe distinguendas breuibus comprehendit, quod impune et sine erroris periculo facere hic licebat, quia sequentia de Agabo statim commemorata verum rei statum ita ante oculos ponunt, ut omnis error lectoribus praecidatur. Res ergo sine dubio ita gesta erat: patesactum omnino erat discipulis illis septem per spiritum,

*) Ipsi Domino sermonibusque illius tale quid accidisse notabili exemplo docemur. Cum enim Petri de Ioannis condiscipuli fatis nimis solliciti, curiositatem repressurus dixisset, *si volo vt maneat, dum venio quid tua id refert?* Sermo ex iisse dicitur, *bis discipulus non moritur.* Quae vocis Domini interpretatio quam minime consequens fuerit, ipse Ioannes commonistratus subiicit; *Iesus non dixerat; non moritur; sed si volo vt maneat, dum venio, quid tua refert?* Io. XXI, 22. Iqq. quae tamen omnia prohibere non potuerunt, quo minus AVGVSTINI adhuc tempore, imo etiam post illud extiterint, qui Iohannem adhuc viuere sibi persuaderent.

ritum, calamitates manere Paulum Hierosolymis; haec itaque cum fiducia quidem eloqui, verum etiam in iis consisteret nec longius sua sponte progredi debuissent; at vero boni illi yiri benevolentia ducti, praedictionem illam ita interpretabantur, quasi Paulus ea Hierosolymam pergere prohiberetur; quae suggestio non spiritus Dei sed proprii erat, ex verbis spiritus perperam conscientis, quod minime conseqebatur. Melius postea in eadem caussa se gessit Agabus, magis quam illi confirmatus vsuque doctus; hic enim quae de vinculis Pauli per spiritum certo cognouerat, cum fiducia etiam ut certo euentura pronuntiabat, Paulum vero pergere in itinere minime verabat. Quod vero ipse non faciebat, quo minus ab aliis fieret, prohibere tamen non poterat. Reliqui enim in opinionem veniebant, fas omnino esse, ea praedictione ut ad deterrendum a persequendo itinere Paulum: qui vero licet se non ex saxo sculptum aut e robore dolatum esse significaret, immotus tamen stetit, naturaeque imbecillitatem vel vincula exhorrescentis vel precibus amicorum libenter aliquid tribuere cupientis, spiritus fidei fortitudine ac robore superauit.

§. XXXII.

Progredimur iam ad tertium supra expositum, interpretationem scilicet, de qua supra iam polliciti sumus, loci notabilis Rom. XII, 6. de prophetia agentis Duabus vere rebus dicenda comprehendere placet; primo de ipsa coagmentatione et coniunctione verborum, quae aliquid difficultatis habet, ut de illa inter interpres non conueniat, videbimus; deinde discrepantes interpretum de vera sententia opiniones expendimus, et quid nobis optimum videatur significabimus. Quod itaque ad primum attinet, ipsa Pauli verba ita se habent latine ad verbum expressa: *habentes vero dona secundum gratiam nobis datam*

C

datam diuersa, aut prophetiam, secundum analogiam fidei. Quaeritur scilicet hoc loco, vnde pendeat vocabulum *εχοντες*, et vtrum omnino aliquid ante verba *κατα την αναλογιαν της πιστως*, et quid subaudiendum sit, quo oratio satis plena efficiatur. ERASMVS aliisque *το εχοντες* cum vocabulo *εσμεν* c. 5. coniungunt, ac proinde similitudinem a corpore humano ducunt, c. 6. continuari et ad corpus Christi mysticum porro transferri putant, vt haec sententia efficiatur; multi vnum corpus sumus, quilibet vero inter se membra, et hinc (quoniam scilicet diuersa membra sumus) habentes (scilicet sumus) dona diuersa, aut prophetiam; quam sententiam quoque sequitur BENGELIVS, ita ad h. l. scribens in Gnomone, *εχοντες* pendet ab *εσμεν*, est enim apodosis ad c. 4. fin. obiicit vero huic sententiae l. C. WOLFIUS in notis pholologico-criticis, negligi in illa nimis coniunctionem *δε*; in altera illa, inquit, sententia *το δε*, in phraesi *εχοντες δε*, nexum *bi* *vulcum* facere mibi videtur, qui siquidem indicari debuisset, obuius futurus erat, si apostolus scripsisset *μεν*. Ipse itaque aliam sententiam ingreditur, quam ita exprimit; mibi quidem c. 5. comparatio inter *corpus physicum eiusque membra diuersa instituta*, penitus absoluta videtur ab apostolo; qui c. 6. *consecatarium inde prono impetu fluens nonsolum deducit*, sed etiam eadem *opera cum admonitione coniungit*. Quod ad rem ipsam attinet, non multum interest, vtrum hanc vel illam sententiam eligas, malumus tamen posteriori calculum adiicere, quoniam coniunctio *δε* vim suam in illa omnium optime retinet, quae in priori nimis negligitur. Quaeritur vero porro, an ante verba *κατα την αναλογιαν της πιστως* aliquid sub audiendum sit et quidem tale, quod orationi praecepsi et admonitionis vim addat. Quod quidem a nonnullis improbatum est. Verum enim vero sententia longe planior efficitur, si aliquid subaudiatur quod cum commode

mode ex re ipsa intelligatur, apostolus diserte id ponere necesse non habuit. Verba igitur ita videntur supplenda. Dum vero tamquam vnius quidem corporis membra diuersa tamen diuersi habeamus dona, si e. g. habeamus prophetiam, prophetemus secundum analogiam fidei.

§. XXXIII.

Verum progradimur nunc ad veram verborum sententiam inuestigandam, de qua discrepant interpretes, in duas quippe maxime partes abeunt. Primo itaque loco illorum prodeat sententia, qui per prophetiam facultatem interpretandi scripta sacra et quidem etiam ordinariam, debito adiumentorum vsu comparandam intelligunt, hi ergo tantum non omnes fidei nomine ipsam doctrinam fidei, analogiae vero, capitum eius compagem appellari sibi persuadent, et hanc apostoli sententiam faciunt; si quis facultatem sacras litteras interpretandi habeat, videndum ipsi esse; ne aliquam illius partem, obscuriorum imprimis ac difficiliorem, ita interpretetur, vt interpretatio doctrinis fidei clare satis reuelatis, earumque cohaerentiae, circumscriptioni inter se, finique communi repugnet. Sic praeter alios WOLFIVS ad h. l. scribit. Priors illi qui scilicet πνευ doctrinam fidei esse existimant, analogiam de partium inter se omnium congruentia interpretantur; ne vlla sit in uniuerso doctrinae corpore membrorum discrepantia, sed tum articuli sibi constent, tum pro falso et deformi habebatur, quidquid in locorum obscuriorum interpretatione huic quasi formae non respondeat; et post plura alia subiicit; cum talis doctrinarum compages in s. codice exstet nec hic arena sine calce occurrat, verisimillimum putat (Anglus scilicet aliquis anonymous contra LOCKIVM disputans) quod apostolus ad hanc doctrinarum catenam et mutuam consistentiam seu proportionem respexerit etc. atque hunc phraseos usum nostrates, si unum alterumque exceperis, constan-

ter et merito tuentur. Adiungimus adhuc Wolfio I. F. BVD-
DEVVM in delineatione eccles. apost. c. V. §. II. p. 631. ita
scribentem, *inde vero etiam patet, quod per fidem hoc loco ipsa
doctrina fidei intelligenda sit, quippe quae sola analogiam sive concen-
tum et consensum partium fundamentalium admittit, quam apostolus
hic eum normam quandam ac regulam προφητειας seu interpretationis
scripturae sacrae commendat.*

§. XXXIV.

Alii vero aliam longe apostoli sententiam faciunt,
πιστων scilicet hoc etiam loco in sententiam maxime usitatam
accipientes, ut fidem subiective spectatam, sive qua creditur
significet. Hi itaque ut WOLFII potius verbis quam no-
stris utamur, *αναλογικων της πιστως* idem esse censerent, quod
c. 3. *με τρον τισεως* vocatur; eo sensu ut moneantur prophetae
sive interpretes, ne cognitionis suae modum transeant
sed suis se finibus teneant, ut i Cor. XIII, 30. praecipitur.
Secutus iam est hanc sententiam ERASMVS, verba *κατ'*
αναλογικων interpretans, *iuxta proportionem*, eandemque in
versione sua hunc in modum expressit SEBASTIANVS
CASTELLIO, *dotes pro collato in nos beneficio varias habemus,*
ut diuinationem proportione fidei: accessit postea porro huic sen-
tentiae HVGO GROTIUS, in notis suis mentem apostoli
eo trahens, ut quilibet prouti maiorem vel minorem pro-
phetiae gradum a Deo consecutus sit, ea mensura contentus
sit. Nostra vero aetate calculo quoque eam suo approbavit
I. A. BENGELIVS, in Gnomone ad h. l. ita scribens, *κατ'*
αναλογικων της πιστως, id est, ut Deus distribuit prophetae cuique men-
suram fidei; et nonnullis interiectis pergit; tantundem est, ut
si Paulus diceret sive prophetiam; in prophetia ne extra fidem et ultra
eam feratur, neque quis ex suo corde prophetet ultra id quod vidit.
Ac rursum ne celet sepeliatue veritatem. Quantum vidit, et nouit et
credit

BVD.
1. ita
oco ipsa
concen-
postolus
tationis

faciunt,
sitatam
reditur
am no-
, quod
prophe-
anseant
cipitur.
pa *xut*
que in
IANVS
habemus,
uic sen-
apostoli
m pro-
ntentus
robauit
s, *xar*
que men-
est, *ve*
et ultra
d vidit.
rouit et
credit

credit tantum eloquatur. vid. Col. II, 18. Ap. I, 2. exemplum talis analogiae ipse praefstat. 1 Cor. VII, 25. *). Hos ergo si audiamus, apostolus dono prophetico instructis his verbis praecipiet, vt suo se modulo ac pede metiantur, nec aut plura quam diuinitus suggesta firma fide explorata habeant, eloquantur, aut de iis quae vt talia explorata habeant, suo arbitratu aliquid detrahant. Ad vtrumque enim sollicitari poterant prophetae; hinc et veteres prophetas interdum monitos legimus, vt accurate et sollicite verba Dei eloquerentur, nihil humani admiscentes nec diuini temere supprimentes. Nostrum iam est diiudicare has sententias et videre, vtra illarum, si inter se configant, viatura sit forte; quo apparet, secundum quam nobis pronunciandum videatur.

§. XXXV.

Quod itaque ad priorem multis satis probatam attinet, id primo statim loco profitendum est, rem ipsam, quam interpretes illi a Paulo volunt dictam per se quidem verissimam esse, et cum ex natura rerum tum ex sc. litteris facile probari posse. Est scilicet egregius primiarum et perspicue reuelatarum fidei doctrinarum consensio ac concentus, ad unum conspirans, videreque omnino debet, quicunque codicem sacrum interpretatur, vt ne aliquid dicat, quod illi analogiae fidei, vulgo ita dictae repugnet. Verum enim vero non de hoc, quod aliunde satis probari potest, in praesenti quaeritur; id potius in quaestione est, an Paulus id, quod per se

C 3

veris-

*) Idem auctor in noua sua N. T. versione Germanica verba Pauli ita exprimit; entweder Weissagung, nach der verhältnis des Glaubens. Quae verba in adnotatione subiecta ita declarat. So weit mein Glaubensmaas geht, so weit soll und darf ich mich mit der Weissagung herauslassen.

verissimum est hoc ipso, vt illi contendunt, loco dicat? de eo ergo si quis nostram sententiam requirat, dissimulare haud possumus, videri nobis interpretationi illi nonnulla obstat, quo minus pro tam certa probemus ac vulgo fieri solet; sunt vero illa partim ex verbis ipsis partim ex re ipsa ducta. Primo verba ipsa illi non satis fauere videntur. 1) Scilicet, plurimi saltim illius defensores per prophetiam facultatem ordinariam s. litteras interpretandi intelligunt; quod cur nobis aliter videatur, in prima vniuersae orationis nostrae parte disputauimus *). 2) Vocabulum πιστις in eam sentiam accipiunt, vt doctrinam fidei significet; dubitari vero forte vel saltem quaeri posset adhuc, an usquam in scriptis N. T. vocabulo huic haec notio certo sit subiecta; sed ne nimis difficiles aut morosi videamur, ea in dubium vocantes, quae tantum non ab omnibus probantur, concedamus tantisper rem ita se, prouti volunt, habere; id tamen maneat necesse est, hanc ipsam vocabuli potestate esse infrequentiorem, imprimis vero in tota hac ad Romanos epistola, in qua frequentissima fidei mentio occurrit, nullo alio in loco inueniri. Nouimus vero, consentientesque in eo habemus omnes, ab yisitatori vocabulorum potestate sine graui causa non esse

rece-

* Adiungi dictis illo loco adhuc potest, quod Paulus postea c. 7. διδασκαλίας s. doctrinae ordinariae separatim mentionem facit, eamque proinde a prophetia distinguit. Iam vero διδασκαλία ordinaria quam maxime complectitur ordinariam s. litterarum interpretationem; prophetia igitur, quatenus etiam in interpretatione versatur, ad extraordinariam pertinebit. Id quod egregie illo etiam confirmatur, quod Paulus in enumerandis personis sacris ecclesiae N. T. prophetas a doctoribus ordinariis distinguit, eoque haud obscure docet, dona virtutumque etiam fuisse distincta.

recedendum 3) vocabulum *αναλογια* vnico hoc loco in N.T. occurrens, *proportio* vertitur ab optimis auctoribus, vt infra docebimus; et si vel maxime vertere velis per *similitudinem*, ideo tamen nondum necesse est statuere πιστω doctrinam fidei hic significare, sed sensus esse posset; interpretationem, quam quisque adferat s. litterarum, esse debere conuenientem mensurae fidei suae, quatenus scilicet idoneis argumentis veritatem illius cognitam habeat; quod si probetur, praeceptum hoc oppositum erit vanis interpretum atque longe petitis coniecturis, quae valde in vitio sunt, et quas tamen haud pauci nunquam non in interpretando secuti sunt.

§. XXXVI.

Obest vero etiam huic interpretationi aliquid ex ipsa ductum. Si Paulus scilicet praeceptum ad interpretationem s litterarum pertinens voce hac dare voluisset nihil credibilius est, quam illud ita comparatum futurum fuisse, vt plenum satis ac sufficiens fuisse, non solum ad impias verum etiam ad falsas interpretationes excludendas. Iam vero accidere potest, ac saepius quoque accedit, vt interpretatio loci alicuius analogiae fidei quidem conueniens et tamen falsa sit, id est a vera spiritus S. sententia in illo loco aberrans; licet nil falsi et impii contineat. Interest enim inter interpretationem falsam et falsi quid dicentem. Per hoc itaque Pauli praeceptum, modo interpretationes falsi quid dicentes, non vero falsae excluderentur. Interest scilicet inter veritatem interpretationis alicuius *dogmaticam* et *hermeneuticam*, potest nimirum interpretatio loci alicuius dogmatis quidem vera esse, id est aliquid dicere quod per se verum est, quae nihilominus hermeneutice falsa est; quoniam res illa per se vera alibi quidem, minime tamen in illo loco, vbi interpres quae-

quaerit, dicitur *). Quod si vero prophetia in hoc loco facultatem illam de qua diximus extraordinariam significet, rursus non apparet, quomodo praeceptum hoc apostoli, secundum vulgarem illius interpretationem ad omnes errores in hoc negotio excludendos sufficiat. Potest enim effatum aliquod, quod pro prophetica suggestione habetur, quod ad materiam et argumentum illius attinet, nihil continere doctrinae salutari per se repugnans, et nihilominus non esse prophetica suggestio. Nam haec argumentandi ratio semper quidem valet: omnis vox quae aliquid salutari doctrinae **) repugnans in se continet eatenus vera prophetia non est,

*) Rem exemplo illustrabimus. Verba Pauli Act. XVII, 31.

πιστὸν παρεκπάσω πάσιν αὐτοῖς εἰς νεκρῶν, vulgo in eam sententiam accipiuntur, Deum omnibus omnino mortalibus sufficientes ad credendum vires offerre, ut per ipsos stet, vtrum ad fidem perueniant nec ne. Verum licet id per se verissimum sit, et ex tota oratione Pauli reliqua etiam effici possit, his tamen verbis id non proxime dicitur. Formula enim *πιστὸν παρεκπάσω* significat, fidem facere alicui rei, vel *cam sati demonstrare*; veraque apostoli sententia haec est, magnam illam veritatem orbem terrarum per Christum olim iudicatum iri, Deum per id euidenter demonstrasse et confirmasse, quod Iesum in vitam reuocauerit. Eleganter verba expresserunt Montenses, ita vertentes: *dont il a donne à tous les hommes une preuve certaine. en le ressuscitant d'entre les morts.*

**) Verum enim manet, quod Paulus ait Galat. I. si vel angelus de coelo aliud euangelium nunciaret, quam ab apostolis nunciatum ac sacris litteris comprehensum est, tamquam diris propter mendacia deuotus audiendus nobis plane non esset. Hinc Paulus porro credentes simpliciter ad formam doctrinae sue remittit, illamque sollicite tenere, ac tueri, contra vero omnia repugnantia atque aliena vitare iubet. 1 Tim. VI. 2 Timoth. I. Tit. I. II.

est, aut esse potest: verum non licet longius progredi ac simili etiam ratione argumentari, quaecunque vox nihil doctrinae salutari repugnans continet ea statim prophetia est. Nam repugnantia salutaris doctrinae creditam quidem prophetiam falsitatis certo conuincit, at conuenientia cum illa non statim probat illius veritatem, respectu scilicet modi suggestionis re vera prophetici. Quae cum ita sint, in alteram magis sententiam propendemus supra expositam, quae nostro quidem iudicio cohaerentiae, verbis ipsis ac rei apprime, magis saltem quam prior, conuenire videtur, ut nunc breuibus ostendere animus est.

§. XXXVII.

Primo itaque cohaerentia sermonis apostolici in ea satis apta est. Commate scilicet 3. apostolus credentibus iam generatim praeceperat, nequis aliter aut praecarius de se sentiret, quam par esset, sed ut quisque respiceret quantam mensuram fidei Deus ipsi tribuerit; ad quae verba et ea quae proxime sequuntur haec obseruamus a) fides de qua hic sermo est sine dubio fides subiective spectata est. b) Eam non apud omnes qui habent aequalem esse docet apostolus, imprimis etiam quod ad totum ambitum rerum a Deo reuelatarum attinet, de quibus non omnibus aequa multum, vel idem quod aliis cognoscere datum est, c) vult ergo apostolus ut quilibet id quod sibi datum est, decenter exploret, quo et nil sibi arroget, quod non habeat, et eo quod haber ad bonum commune recte utatur, d) subiicit tum, ut etiam alibi facit (1 Cor. XII. Eph. IIII.) similitudinem a corporis membris ductam, quae pariter diuersa habeant dona ac munera, et quorum quodlibet alienum nec appetat, nec tamen etiam segne fit ad inseruendum reliquis eo quod habeat e) tum reddit ad dicta comm. 3. et generaliter ibi pracepta ad singularia trans-

D fert,

fert, docens primo loco, quomodo praeceptum illud gene-
rale in prophetiae dono eiusque vsu obseruandum, ac pro-
inde cuius illud habenti videndum sit, quantum explorate
a Deo acceperit: ita ni fallimur omnia bene satis cohaerent.
Porro vero ostendendum etiam est, sensum illum verbis bene
et apte satis conuenire, quod ut constet sequentia notare
liceat. a) Vocabulum *fides* hoc modo in sententiam maxime
vifiratam sine omni controuersia accipitur. b) Quod ad
αναλογίας vocabulum attinet, inter *απάλεγομενα* est in N. T.
scriptis; id quod in causa est, ut quid significet aliunde
discendum habeamus. Iam vero primo *αναλογίας* vocabulum
ab optimis auctoribus, latine *proportio* vertitur. Sic CICERO
in l. de vniuerso scribit, *quae graece αναλογία latine proportio
dici potest;* quem sequitur VITRVVIVS L. III. c. I. idem facit
QVINTILIANVS de *αναλογίᾳ* in oratione agens, et L. I. c.
VIII. ita scribens, *omnia haec exigunt acre iudicium in analogia
praecipue, quam proxime ex graeco transferentes in latinum, PRO-
PORTIONEM vocauerunt.* Deinde scriptores quoque graeci
Christiani in sequentium temporum vocabulum ita acce-
perunt, ut BENGELIVS ad h. l. docet, sic BASILIVS M. libro
de sp. S. scribit, *omnia implet virtute, solum autem digni eam ac-
cipere possunt, neque uno μέτρῳ accipitur sed κατὰ αναλογίαν τῆς
πίσεως s. ad proportionem fidei distribuit operationem:* in eundem
modum interpretatur MARCVS Eremita in libro, *de iis qui
putant se ex operibus iustificari,* scribens; *rerum notitia secundum
αναλογίαν exercitii praeceptorum obtingit, cognitio autem veritatis
secundum μέτρον fidei in Christum:* ubi μέτρον et *αναλογία* tan-
quam idem valentia permutantur. Si vero etiam vertere
malis per *comparisonem, similitudinem;* haec vocabuli notio no-
stra sententiae aequa commode quam alteri accommodari
tandem poterit *).

§. XXXVIII.

* Magnam similitudinem habet haec Pauli vox, quemadmo-
dum

§. XXXVIII.

Restat denique ut doceamus, ipsi rei quoque interpretationem hanc optime conuenire; quod cum ex supradictis iam facile adpareat, breuibus nunc expediri poterit. Erat primo donum hoc, ut alia, non aequali mensura, distributum; ex quo facile cupiditas peruersa, eos qui ab aliis superabantur, inuadere poterat, aliis aemulandi, maioremque mensuram sibi tribuendi, ne inferiores viderentur; deinde non omnino extra omne periculum erant prophetae aliquid de suo illis addendi, quae a spiritu suggesta fuerant. Caueri illud omnino poterat, si debitam fidem ac diligentiam adhibebant in vsu donorum sanctificantium, et si verae submissioni animi studebant; et hoc ipsum est maxime quod Paulus praecepto hoc eos monitos vult, ne accidat quod aliquin accidere poterat, et quidem etiam sine fraude per incuriam ac negligentiam. Ut taceamus quod supra iam probauimus accidere posse prophetantibus, non satis fibi a spiritu

D 2

ritu

dum ab aliis quoque iam obseruatum est, cum effato Petri I. ep. IIII. 10. 11. prout quilibet, inquietis, accepit dominum, in vos ipsos id ipsum ministrantes, tamquam boni dispensatores variae gratiae. Si quis loquitur, tamquam oracula Dei; (scilicet loquatur,) si quis ministrat, tamquam ex virtute, quam Deus suppeditat, (scilicet ministret). Nam hoc quoque praeceptum, quatenus ad illos, qui partes loquendi habent, pertinet, id sibi vult, vt id quod quisque se a Deo accepisse cognouit, fideliter eloquatur. Et cum Petrus pariter ac Paulus proxime mentionem ministerii fideique in illo praestando subiiciat, coniecturam quis facere posset, Petrum Pauli verba spectasse; quae coniectura, eo minus temere facta existimari posset, cum constet, eum in altera epistola, c. III. litteras Pauli diserre citasse, illarumque cum suis confessionem credentibus laudauisse.

gene.
c pro-
plorate
aerent.
is bene
notare
maxime
nod ad
N. T.
aliunde
abulum
CERO
roportio
m facit
L. I. c.
nalogia
, PRO-
graeci
accep-
A. libro
em ac-
piav rns
undem
iis qui
cun. um
veritatis
ca tan-
vertere
rio no-
podari
XVIII.
admo-
dum

ritu suo cauentibus, vt ex veris prophetiis falsi aliquid concicerent, voluntatibus imprimis et studio ipsorum conueniens. Denique accidere etiam poterat, vt variis de causis libentius aliquid quod spiritus suggesserat, comprimere vellet ac pectore clausum tenere quam eloqui, id quod Iermias sibi aliquando accidisse fatetur; cogitasse se interdum, aiens, tacere se malle verbum Domini, at non ex sententia successisse rem illam sibi. (c. XX, 9.) quae cum ita sint, adhuc quidem posteriorem sententiam priori anteponimus, parati tamen ut par est, illis aequo animo concedendi, qui meliora decebunt.

§. XXXVIII.

Ante vero quam finem faciamus, vnius adhuc obiectionis mentionem facimus, quam illi proferunt et iure quasi suo vrgere posse videntur, qui hac in re a nobis dissident. Conferatur v. g. BVDDEVS in delineat: eccles. apost. C. VI. p. 636. sq. Dicitur scilicet, apostolum tamen praecipere (1 Cor. XIII, 29.) vt propheta uno locuto, reliqui prophetae scilicet διαιρετοστα. i. e. diuidicarent dicta nimirum a loquente; non vero satis apparere, quomodo diiudicatio reliquorum locum habere debuerit aut potuerit, si loquens oracula sua per Θεοννευσιαν extraordinariam, fallere sane nesciam fuderit; diiudicationem enim aliis iniunctam significare videri, falsi aliquid et minus commodi prophetiam illam de qua sermo sit, habere potuisse coniunctam; id quod melius comprehenditur posse existimatur, si per prophetiam intelligamus, ordinariam s. litteras interpretandi facultatem. Licer vero haec obiectione non omnino specie careat, tanti tamen non videtur ut nos de sententia de pellat. Nam primo non plane inter adiutoria erat, quod supra ostendimus, ut propheta vera a spiritu extraordinem impulsus, sua culpa aliquid alieni admis-

admisceret. Quemadmodum ergo ipse propheta, cautionem circa id adhibere debebat, ita aliis quoque idem facere, et sua et totius ecclesiae causa, non erat prohibitum. Deinde concedi non potest, iniunctam ab apostolo diiudicationem ponere necessario aliquid erronei in oratione quae diiudicabatur. Potest enim etiam diiudicatio facta dici, si prolati latius disputabantur, explanabantur atque etiam ad usum aliorum luculentius transferebantur. Sic v. g. Iacobus Petri sermonem per spiritum sine dubio habitum, in conuentu ecclesiae Hierosolymitanae (Act. XV.) recte potest dici diiudicasse, imo re vera diiudicauit, licet nihil in illo tanquam minus rectum correxerit. Simile quid in colloquiis illis propheticis, quae Paulus praeceptis suis sapienter moderatur, locum habere potuit, et quidem cum insigni prophetarum atque totius ecclesiae utilitate. Restat iam ultimum ex teria vniuersae orationis nostrae parte, in eo scilicet positum, ut quaestionem adhuc disceperemus, utrum donum propheticum hodie plane cessauerit, aut cessare debuerit; qui locus cum anceps ac difficilis sit, ut in alterutram partem facile labi possint mortales, dicenda tribus rebus comprehendemus. Primo generatim disceperabimus an dona extraordinaria plane in eccles. cessauerint aut cessare debuerint; deinde an et quantum in dono prophetiae id factum sit aut fieri debuerit; denique cautiones necessarias circa hanc rem subiungemus.

§. XXXX.

Primo itaque loco generatim disceperandum habemus, an dona extraordinaria ac mirabilia plane cessauerint aut cessare debuerint in ecclesia N. T.? ad quam quaestionem distincte expedientiam sequentia obseruamus. 1) Frequenter admodum haec dona in prima ecclesia tribuebantur, et quidem ut nonnulli obseruarunt in iis maxime ecclesiis, quas apostoli ipsi constituerant. Conferebantur vero a) tum multis

tis admodum ac largiter, ita ut effectus illorum usque modo admodum conspicuo sensus et credentium et non credentium ferirent. b) Conferebantur etiam ab apostolis tamquam Christi legatis primi ordinis solemnni ratione, et quidem fere post susceptum baptismum, manibus inter vota ac preces impositis; quo facto effectus admodum conspicuus ex templo sequebatur. cf. Act. VIII. XVIII. reliquis enim credentibus, ut spiritum eodem modo conferrent, datum fuisse non legimus. Hinc factum quoque nouimus ex Act. VIII. ut cum Samaritani fidem ex concionibus Philippi diaconi suscepissent, Petrus et Iohannes re audita auctoritate ecclesiae Hierosolymitanae eo proficiserentur, quo recens conuersi spiritum S. illorum opera acciperent. Quamobrem hanc ipsam facultatem inter praecipua apostolorum referre non dubitamus 2) causa vero, cur tam largus horum donorum in prima ecclesia fuerit prouentus in eo maxime posita fuit, ut euangelio de Christo tum per totum terrarum orbem nunciato, plurimisque mortalium partim plane ignoto, partim valde obscurato, fides omni exceptione maior constituetur, diuinaque illius origo atque auctoritas probaretur ac muniretur. Res ipsa id abunde docet, Paulus que etiam multis in locis confirmat. Imprimis vero verba Ebr. II, 3. sq. notari merentur; vbi Deus doctrinae euangelicae testimonium perhibuisse dicitur, *signis et prodigiis et variis virtutibus et spiritus S. distributionibus secundum voluntatem suam*. Quae primo N. T. tempore facta, longe profecto illustriora erant ac maiora iis, quae tempore V. T. in hoc genere rerum in ecclesia iudaica gesta legimus; hoc enim Dominus virtutem suam in angusto modo angulo, illo vero in augustissimo totius terrarum orbis theatro spectandam exhibebat.

§. XXXI.

3) Minime vero nec necessarium nec postulandum erat,

erat, vt illa largitas et abundantia per omnia consequentia tempora perpetua esset; quod cum magni momenti sit, vt eo melius intelligatur, sequentia notamus, a) doctrina salutaris per se ac semper eam diuinam virtutem secum coniunctam habet, vt etiam sine donorum extraordinariorum accessione, hominibus certam atque immotam veritatis suae fidem facere queat; si modo homines ita vt par est se gerant. b) Igitur primo propter hominum conditionem ac duritiem, quam sua culpa sibi magis magisque contrahunt, factum est, vt Deus etiam extraordinaria multa certis temporibus fecerit. Ex quo factum legimus, vt ipse Dominus eos non laudauerit, qui vel credere abnuebant, nisi miraculis ante conspectis, vel iis quae conspiciebant, nunquam contenti erant. Deinde factum id etiam est vt Deus abundantiam gratiae suae in Christo eo illustrius hominibus manifestaret. c) Ea quae tum facta sunt, nonsolum ad homines illorum, verum etiam sequentium temporum pertinere et poterant et debebant, vt ex illis eatenus diuinatem euangelii cognoscerent, vt animum ad illud rite attenderent, quo diuinam illius vim ad plenam ac salutarem fidem efficiendam experientur d Hinc etiam veritati ac certae fidei historiae sacrae satis a Deo prospectum est, vt veritas rerum narratarum, non nisi per summam iniuriam et morosam clarissimorum ac fide dignissimorum testimoniorum repudiationem, in dubium vocari possit. De iis vero qui eo animo sunt, vt credere nolint, quod verum ac factum esse nolunt, satis certum exemplisque probatum est, eos tamen nemini quidem fidem facile habere, si vel maxime miracula in eorum gratiam efficiantur; peruersa enim et obstinata voluntas miraculis per se non flectitur ac corrigitur. cf. Luc. XVI. Matth. X. 21. e) Si extraordinaria talia semper ac frequenter fierent, facile diuina vis ipsius euangelii aliquo modo obscurari posset, hominibus plus tribuentibus extraordinariis

quam

quam ordinariis mediis; vt taceamus obsolescere solere consuetudine ac frequentia apud homines etiam maxima eoque fieri, vt iis parum tandem moueantur, quod Iudeorum exemplo satis constat. Obtrudi vero talia aut temere profundi non debent, imprimis cum hominibus recte constitutis atque seruari cupientibus, ordinaria omnino sufficient. Iniquum itaque plane est, talia suo arbitratu postulare, vel harum rerum nostris temporibus defectum ad infidelitatem excusandam caussari.

§. XXXII.

4) Interim tamen probari non potest, dona extraordinaria plane cessare debuisse aut cessasse; neutrum enim doceri potest. Quod vt eo rectius intelligatur sequentia obseruare placet a) nusquam Deus declarauit in verbo suo se operaciones huiusmodi primis tantum temporibus eccles. N. T. ita adstrinxisse, vt sequentibus nihil plane tale facere velit. Promissa potius ad has res pertinentia generalia sunt totumque N. T. tempus spectantia; licet haec vel illa pars illius aliquid praecipui in hoc rerum genere, et quidem iustis de caussis habuerit. Accedit quod voces Domini de virtute fidei ad extraordinarias quoque operationes se extende, pariter generales sunt, neutquam certis temporibus simpliciter adstringentes aut temere adstringenda. b) Historia primorum seculorum omnino docet, extraordinaria non plane cessasse, sed subinde talia facta esse quae in hoc genere recte numerantur. Concedimus quidem libenter, quod satis in aperto est, multa quae narrant veteres admodum suspecta esse *), singendi lubidinem

*) Vitio sane verti non potest viris doctis moderationisque laude etiam praestantibus, si ipsis non omnia verisimilia videntur, quae GREGORIVS NYSENVS et BASILIVS MAGNVS de miraculis Gregorii Thaumaturgi narrant; licet propterea nolint in alteram portem labi, omniaque commenticia aut falso credita pronuntiare.

nem hominum credulitate mox abusam, ad multa commenticia ac falsa miracula memoriae prodenda, ut admodum difficile nobis hodie sit, accuratum ac certum delectum rerum habere, veraque a falsis certo distinguere. Verum enim vero sicuti omnibus promiscue fidem habere, nimiae credulitatis esset, ita omnibus abrogare nimiae temeritatis foret. Quin etiam posterioribus temporibus ac recentioribus subinde aliquid eluxit huc pertinens, quod non nisi temere contemni ac repudiari potest. Vix etiam dubitamus plura in occulto mentibus recte constitutis obtingere quam enotescunt, quoniam partim ipsi, quibus obtingunt paupertate spiritus tacita tenere malunt; partim quia mundus indignus est, qui plura huius generis cognoscat, ad extraordinaria neganda et oppugnanda eo magis proclivis, quo arroganterius ordinaria quoque aspernatur iisque ad salutem vti detrectat. c) Vix igitur dubitamus plura etiam hodie in hoc genere futura, si fides maior esset, ac proinde idem obesse saepe voluntati virtutique Dei in talibus efficiendis, quod olim ipsius Domini tempore; qui in patria sua vix vnum atque alterum miraculum efficere potuisse legitur, propter hominum difficultatem credendi. d) Denique cum tot effata prophetica V. ac N. T. magnas mutationes rerum in ecclesia vltimis temporibus adhuc expectandas nobis praenunciant, quarum certos euentus hominum infidelitas non tollet; admodum verisimile est plura quoque huius generis tum futura, quibus Dominus vim suam amicis aequa atque inimicis ostendet, ad gloriam nominis sui amplificandam vindicandamque.

§. XXXIII.

Quibus praemunitis ad alterum iam accedimus supra expositum disquisituri scilicet, an prophetia plane cessauerit aut cessare debuerit? Qua de re haec nostra est intentio cum pace lectorum exponenda. a) Circa credenda et agenda ad salutem scitu et actu necessaria nullae nouae et extraordinariae reuelationes propheticae sunt exspectandae, quibus aliquid eorum, quod S. litteris comprehensum nondum sit, et eo pertineat, aperiatur. Talibus itaque aut ipsum inhiare, aut aliis talia iactantibus aurem facile praebere magnopere improbadum ac periculi plenum est. b) Verum dantur quoque multa alia hoc genere rerum non com-

E

pre-

prehensa, in quibus propheticas reuelationes ac suggestiones dari adhuc posse, atque interdum dari, cur plane negemus nullas idoneas caussas nos videre profitemur. Nolumus supra iam generatim de extraordinariis dicta repetere, volumus tamen illa expendi; vt appareat, non esse quod circa prophetiam a sententia ibi exposita discedamus. c) Omni tempore facta subinde *) nonnulla sunt, quae facilius est falsa et temere opinata dicere quam probare; hinc maiores quoque nostri aequum valde et modestum iudicium de prophetia. IO. HILTENII Franciscani Illeensesis de Luthero fecerunt, dignum omnino, quod hic legatur. Exstat vero in apolog. A. C. p. 276. his verbis comprehensum. *Is* (HILLEN. scilicet) multa praedixit, quae partim euenerunt habentus, partim iam videntur impendere, quae non volumus recitare, ne quis interpretetur ea aut odio cuiusquam, aut in gratiam alicuius narrari. Sed postremo cum vel propter aetatem vel propter squalorem carceris in morbum incidisset, accersuit ad se Guardianum, vt suam valetudinem illi indicaret. Cumque Guardianus accensus odio pharisaico, duriter obiurgare hominem propter doctrinae genus, quod videbatur officere culinae, coepisset; tum iste omissa iam valetudinis mentione, ingemiscens inquit, se has iniurias aequo animo propter Christum tollere; cum quidem nihil scripsisset aut docuisset, quod labefactare statum monachorum posset, tantum novos quosdam abusus reprehendisset. Sed alius quidam inquit, veniet A. Domini M. D. XVI. qui destruet vos, nec poteritis ei resistere. Hanc ipsam sententiam de inclinatione regni monachorum et hunc annorum numerum, postea etiam repererunt eius amici perscriptum ab ipso in commentariis suis, inter annotationes quas reliquerat in certos locos Danielis. Quamquam autem quantum huic voci tribuendum sit, euentus docebit, tamen extant alia signa, quae

*) Notae satisque celebratae sunt IACOBI VSSERII praedictiones de perturbationibus Hiberniae aliisque, enuntia satis confirmatae; de quibus quidem non omnibus eadem est sententia. Nobis interim non displicere modestum C. E. WEISMANNI iudicium haud diffitemur, ita scribentis (H. E. Sec. XVII. p. 647.) non habuisse SMITHVM (scriptorem vitae VSSERII) caussas sat graves extenuandi singularitatem prae sagittii Yffteriani tam accurate et mirifice impletis, facile sibi persuadebunt alii a studio partium magis remoti; et si de voce prophetiae num illi trikuenda sit nec ne cum nemine litigari debeat.

quae minantur mutationem regno monachorum, non minus certa quam oracula *).

§. XXXXIII.

d) Quae contra dicuntur a nonnullis tanti momenti non sunt, vt sententiam mutemus. Prouocarunt v. g. nonnulli ad Danielis c. VIII, 24. vbi dicitur, elapsis LXX. illis hebdomadibus obsignari debere visionem et prophetam i. e. vt illi quidem interpretantur, cessare plane visiones et prophetiam in ecclesia; verum enim vero longe aliam horum verborum sententiam esse, Ven. potius D. C. B. MICHAELIS verbis quam nostris docebimus, in ad not. vberioribus ad h. l. p. 313. ita sribentis; aliter autem vijio et propheta obvignantur quam paulo ante peccata. Ibi enim peccata secundum Cetibh dicebantur obvignari, vt occultarentur et comprimerentur, ne obtutui amplius paterent, aut vim ullam exserere possent, quemadmodum illic pluribus notauiimus. Vjio vero et propheta hic obvignari dicuntur, cum non solum finem et complementum suum, sed etiam ex fine et complemento robur et firmitatem consequuntur. Videlicet omnes prophetae et lex usque ad Ioannem vaticinatis sunt Math. XI, 13. et quod Petrus Act. III, 24. ait, vniuersi Prophetae a Samuele indeque porro, quotquot locuti sunt, etiam dies hos prae-nunciarunt etc. Igitur per aduentum Christi, prophetarum oracula quod ad scopum illorum, principem atque primarium attinet, suum sunt complementum nacta, finita, adumbilicum perducta et obvignata. Sicut cum scriptum aliquod seu diploma finitum est, sigillo illud claudi solet,

unde

E 2

* Admodum placet modestum iudicium HERM. WITSII (Miscell. L. I. C. XXIIII. §. XXXVIII.) qui postquam de prophetis NICOLAI DRABICII aliorumque ipso partim evenuit refutatis disputauerat, tandem grauiter subiicit; neque tamen id circa negare velim, frequenter accidere, vt homines piis, et singulari ratione diuino cultui devoti, atque ad propiorem arctiorem que numinis amicitiam admissi, ab ipso de rebus futuris et arcans edoceantur; quarum cognitio ad excitationem pietatis, ad consolationem animi, ad corroborationem in fide et spe, et exercitium prudentiae per quam utilis est. Plena eorum exemplorum omnis aeu iistoria est. Nec ratione ullam video, cur hominibus probis, piis, fideique dignissimis, talia quandoque de se ad Dei gloriam narrantibus negetur fides; ut nec temere recipienda quae narrantur omnia,

tiones dari
nullas ido-
iam gene-
en illa ex-
a sententia
de *) non-
cere quam
e et mode-
cani Isena-
nic legatur.
rehensum.
enerunt ba-
recitare, ne
licuius nar-
squalorem
, vt suam
pharisaico,
videbatur
ntione, in-
sistum tol-
care statum
rebedisset.
qui defrnet
nclinacione
repererunt
notaciones
quantum
lia signa,
que

e perturba-
uidem non
tum C. E.
XVII. P.
fat gra-
t mirifice
noti; cyb
i debat.

unde Rom. X, 4. apostolus, finis legis (adde et prophetarum) Christus *).

§. XXXV.

Interim certum est, pluribusque experimentis satis probatum, magnas hanc ipsam rem habere cautions, de quibus adhuc aliquid propter grauitatem rei subiungendum existimamus
 1) cauenda omnino est nostro etiam tempore appetitio peruersa extraordiniariorum, vel ex curiositate inani vel ex ambitione oriens, qua homines impulsi talia gestiunt habere, quibus se iactent aliisque magnam de se opinionem adferant; idquod multos nunquam non in fraudem induxit, adeoque magnopere vitandum est. a) Videat ergo, qui inoffenso pede hic progredi voler, quod Paulus tam gnauiter monet, nihil cuiquam profuturum, imo magis obfuturum, si omnem prophetiam et scientiam omnium mysteriorum habeat, et amorem non habeat, discatque inde sanctificantium donorum accessiones maxime esse quaerendas; ne idem ipsis accidat, quod Simoni mago, qui post habitis sanctificantibus extraordinariis inhiabat, acriter ideo a Petro reprehensus propter peruersam ac distortam animi indolem. b) Cogitur porro omnia dona ministrantia esse propter sanctificantia, hisque ministrare non obesse debere **). c) Cogitur porro

Domi-

*) Copiose etiam atque erudite de hoc loco egit, eandemque sententiam confirmavit Theologus quandam Fridericianae nostrae meritissimus BENEDICTVS GOTLOB CLAVSWITZ in explicatione vernacula LXX, hebdom. Danielis T. I. der erläuterungs Schriften zur algemeinen Weltgeschichte inserta et p. 274. sqq. legenda; qui simul p. 278. in nota subiecta egregie docet, quas ob causas cum ex verbis Danielis tum extrinsecus peritas, interpretatione illorum probari neutiquam possit, qui Iudeos nonnullos fecuti, vocabulum *chatham cessationem* prophetiae significare contendunt.

**) Plane notabilia ac proinde meditatione adsidua ac lectu dignissima hac de re sunt, quae vsi retum diuinarum subactissimum ac meritissimum quandam Fridericianae Theologus D. PAVLVS ANTONIVS de prophetis, hominumque affectibus variis circa illa monet in Coll. antith. p. 899. sqq. vbi verisime naturalique mortalium sensui conuenienter obseruat; duos in hominibus regnare affectus, 1) affectum horroris rerum futurarum et antipropheticum cum circa materias communes tum singulares, 2) affectum pseudo propheticum seu idio propheticum, sive pruritum prophetandi tandemque ita

Dominum optime nosse, quid cuique maxime conueniat, ac pro inde optimum esse cupiditates suas extraordinariorum prudenter moderari voluntatique illius permittere, quatenus tale quid tribuere velit nec ne *). Solet autem fere voluntas Domini etiam circa talia studis naturae repugnare: qui concupiscunt, non adipiscuntur, tribuuntur vero illis qui moderato et quieto animo sunt. Docuit illud Dominus in Petri ac Ioannis exemplo, ille cupidus erat cognoscendi, quid huic euenturum esset, verum cupiditas illa a Domino in ordinem redigebatur; hic vero moderato erat animo, huic igitur contigit ut reuelarentur ipsis, quae nemini apostolorum hoc pacto reuelata sunt.

§. XXXVI.

2) Si quis tale quid accidere sibi putet, sollicite experiatur an re vera sit a Deo atque illius spiritu; exempla enim etiam recentiora id satis docent, quam periculose in propheticis etiam multi errauerint, qui magna cum specie errauerunt **). Solent vero

E 3

ita concludit; *nostrum est ante omnia cordi imprimere prophetarum telos principale, et contentos esse postea iis, quae accessorie nobis simul aperiuntur ex scripturis et secundum scripturas, scilicet obseruare vias prouidentiae diuinae circa fata ecclesiae nec negligere signa temporum.* Quae cuncta deinde solide ac sapienter illastrantur, ut neminem, qui nec irrisor rerum diuinarum nec nimis aut incredulus aut credulus est, legisse poenitere possit.

*) Commendari solet circa hanc rem et quidem merito LVTHERI modestias; qui vt alibi ita in Comment. ad Genes. c. XXXVII, profitetur, se paetum fecisse cum Deo, ne vel visiones vel somnia, vel angelos sibi mittat; ac deinde subiicit. Contentus sum hoc dono quod habeo scripturam sacrum interpretandi, quae abunde docet et suppeditat omnia, quae sunt necessaria cum ad hanc tum ad futuram vitam. Huit credo et acquiesco, et certus sum me non posse falli. Neque tamen aliorum donis derogo, si cui forte praeter scripturam aliquid reuelat Deus, per somnia, per visiones, per angelos.

**) Neminem facile fugere potest, quanti motus nostra patrumque nostrorum memoria per sic dictos *Inspiratos* maxime in multis Europae regnis sunt excitati. Docuit tamen eventus errasse illos, qui diuinitatem oraculorum illorum sibi persuaserant; in quibus tamen prudentes cordatique viri statim in principio multa animaduerbant, quae illis totam rem suspectam redderent efficerentque, vt et sibi cauerent et alios fideliter praemunirent. Omni ergo tempore secundum Iohannis mandatum *Spiritus experiri oportet; quod negotium tamen*

vero ex huiusmodi erroribus ipso euentu refutatis magnae offensiones apud bonos aequae atque apud malos oriri, cum insigni veritatis ipsius detimento, quae quidquid delirant homines plenti tandem cogitur. 3) Ex quo porro sequitur, ut ne etiam aliis statim ac temere fidem habeamus apud quos talia se ostendunt. In utramque ergo partem cautio adhibenda est, ne non satis cognita et perspecta aut temere repudiemus aut arripiamus; quorum utrumque optime vitatur, si vbi res obscurior est, iudicium in neutram partem praecipitatur, sed potius tempus sumitur, quo omnia eo sollicitius et accuratius ad normam verbi diuini reuocari possint. Nemo praeterea sibi persuadeat, se satis recte in arduo hoc negotio experientiae spirituum versaturum esse, sibi ac suae tantum intelligentiae fidentem. Certum potius habeat, spiritus lumine atque auxilio, per plium verbi viuum seriasque preces impetrando, quam maxime opus esse, ne aut diuina repudiemus, aut humana pro diuinis probemus; quorum utrumque aequae periculosum esse, non est quod dubitemus.

tamen tum demum recte succedit, si quis ipse ex Deo est, sibique ipse magis magisque cognitus esse studet. Qui enim alter animati ad id aggrediuntur, parum boni plerumque efficiunt, etiam si multa per se bona ac vera dicant.



NOBI-

etc.

ae offend
n insigni
aines ple
tiam aliis
stenduant.
lati co
us; quo
judicium
curit, quo
ini reuo
recte in
elle, sibi
s habeat,
seriasque
iuina re
orum

ipse magis
reditur,
a dicant.

NOBI-

NOBILISSIMO RESPONDENTI S. D. PRAESES.

Cum defensionem secundae disputationis de dono prophetiae in ecclesia N. T. in TE suscepferis, NOBILISSIME ISVERDING committere non potui, ut nihil ad TE litterarum darem; breuitati tamen in hoc officio praestando seruire decreui. Quod ad ipsum argumentum disputationis attinet, non habeo quod addam, nisi varia adhuc et multa quidem occurrisse, quae etiam utiliter dici potuissent; sed cum festinatio TVA tum aliae caussae contrahere dicenda coegerunt. Breuiter itaque ea tantum adiungo, quae ad TE pertinent. Per biennium in Fridericiana studiis sacris operatus es, meisque aliorumquo scholii industrius auditor inter fuisti. Iam vero res eo peruenit, ut Amplissimus Magistratus Susatensis locum docentis in Archigymnasio patrio vacantem TIBI adsignauerit, ea quidem spe, TE officio ita functurum ut mandatis partibus dignum est. Sicuti ergo delatam TIBI prouinciam ex animo gratulor, ita quoque non minus vota facio, ut Deus immortalis TE omnibus illis indulgentiae ac spiritus sui muneribus instruat, quae ad utilem prouinciae scholasticae administrationem necessaria sunt. Praeterea vero debito erga TE amore ductus, TE etiam atque etiam rogo atque obsecro, ut semper ante oculos habeas, quanti momenti res sit, teneras mentes recte formare. Praeceptoris enim Christiani est, non solum bonas litteras adolescentibus tradere, sed etiam verae animarum saluti consulere; id quod tum demum fit, si optimo Seruatori illas praecepsit et exemplis conciliare primarium officii sui munus existimet. Quis vero ad haec aut satis aptus aut ex animo propersus erit, nisi qui ipse Christum nouit et amat, atque a spiritu illius regitur. Hoc ergo age maxime, NOBILISSIME ISVERDING, studiumque verae in seruatorem pietatis ipse in omni vitae ratione ac cursu cum studio litterarum iunge; ita enim nunquam in animum inducere poteris, ut in aliis instituendis ea aut diuellas aut tamquam pugnantia committas, quae coniunctissima esse et debent et possunt. D. in Fridericiana. Prid. Non. Martii. c. 10 CC LV.

RESPON-

RESPONDENTI AC DEFENSORI HVIVS DISPVTATIONIS
DOCTISSIMO

AMICO SVO AESTVMATISSIMO

S. P. D.

FRANC. CASP. GODOFR. TOELLNER,
OPHERDICA - MARCANVS, OPPONENS.

Nihil mihi gratius, AMICE AESTVMATISSIME! obtингere potuisse, bac occasione TIBI tam multis de rebus bene ominandi. Certe nou possum non, et stadium academicum egregie emensum, et victoriae laudem, quam in defensione huius scripti es consecuturus, nec non spartam TIBI in patria demandatam, et proxime abs TE obtinendam, TIBI ex animo gratulari. Opponentis munus mihi obtulisti, oblatumque lubentissimo accepi animo. Hoc tum pietas mea erga PRESIDEM IUVVM summe VENERABILEM, tum etiam amicitia, quae nos intercedit coniunctissima, postulauit. Summum veneror numen, ut redditum IUVVM in patriam felicem esse iubeat, omnibusque TVIS coepitis exoptatissimos largiatur successus. Rogo TE denique et enixissime obtestor, vt amicitiam, qua me hucusque es prosecutus, in absentia etiam continues, meique memoriam nunquam deponas. Vale Faueque. Dabam Halae d. X. Mart. An.

M D CC LV.



00 A 6359




VD 18

10/07

Retro







B.I.G.

Farbkarte #13

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

27
IO THEOLOGICA SECUNDA

DE

PROPHETIAE

IN

NOVI TESTAMENTI

QVAM

RAESIDE

GEORGIO KNAPP

PROF. PVBL. ORDIN.

MARTII MDCCCLV.

IA FRIDERICIANA

VELICE DEFENDET

FRIDERICVS ISVERDING

SATO - WESTPHALVS.



E MAGDEBURGICAE
CHRISTIANI HILLIGERI, ACAD. TYPOGR.